

libetur, ne laici ecclesiastica tractare negotia præsumant. Resp. enim cum Hostiensi in *Summa*, h. t. n. 9, et Viviano in *Rationali juris canon.* cap. 1, h. t. in 6, in prædictis canonibus solum prohiberi, quod laicus non possit tractare ecclesiastica negotia tanquam principalis, seu ut iudex, vel assessor, aut præcipiens: non autem, quin in eis intervenire possit ut procurator, cum sic nomine alterius nudum exhibeat ministerium.

47. *Plures sunt personæ quæ per canones, vel leges prohibentur constitui procuratores.* — Resp. III. Plures tamen sunt personæ, quæ tum per sacros canones, tum per leges civiles, prohibentur constitui procuratores ad lites. Ita communis, et patet inductione. Sic quippe imprimis de jure canonico nequit agere procuratorem excommunicatus utpote qui non solum nequit agere, procuratorem loco sui ad agendum constituere; sed etiam non nisi per alium in iudicio respondere potest, c. *Intelleximus*, 7, de *Judiciis*, cum concordantiis, estque dictum paulo superius n. 30 et 32.

48. *Ut religiosi sine licentia prælati.* — Deinde religiosus non potest esse procurator sine licentia sui prælati, etiamsi per alium religiosum sui vel alterius monasterii fuerit constitutus, nisi pro suo in eadem lite consorte. Textus est in *Clem. Religiosus*, h. t. Huc addi possunt, quæ de clericis, atque religiosis, jam tit. præced. § 1, n. 15, et 24 et seqq. dicta fuerunt: nam servata proportione etiam in proposito locum habent.

49. *Et infames, saltem secundum canones.* — Tertio, secundum canones infamis nequit esse procurator; ut can. *Infames*, 3, q. 7, juncta Glossa ibid. §. *Nec procurator.* Atque hoc, loquendo de causis, seu negotiis ecclesiasticis, et clericorum propriis, procedit non solum de procuratore ad judicia; uti desumitur et can. *Quia episcopus*, 3, q. 3, ubi advocatus, seu (ut explicat Glossa) procurator ipsorum, jubetur esse non malæ famæ suspectus, sed bonæ opinionis, et laudabilis artis. Verum id pariter procedit de procuratore ad negotia, arg. can. *Indicatum*, dist. 89, ubi dicitur, quod res ecclesiasticæ non nisi clericis probatis, sicque bonæ famæ, sint committendæ ad administrandum. Concordat c. *Imperatorum, de Jurament. calum.* juncta Glossa fin. et Abbate ibid. n. 9, ubi ex professo hanc questionem examinat.

50. *Et infames, saltem secundum canones.* — Additur notanter, « secundum canones. »

Nam spectato jure civili, infames non pronuntiantur esse procuratores, § fin. *Instit. de Exceptionib.* eo quod procuratoris officium non sit dignitas, a qua repelluntur infames, sed onus, et quidem vile. Verum secundum canones secus dicendum, ubi tum propter decorem Ecclesiæ, tum ne bona ecclesiastica dilapidentur, infames prohibentur esse procuratores rerum ecclesiasticarum, juxta proxime dicta.

51. *Impuberes, ac minores septemdecim annis.* — Quarto, impuberes ab omnibus officiis civilibus debent abstinere, sicque officio procuratoris fungi nequeunt, l. *Fœminæ*, ff. de *Reg. jur.* Huc addi possunt minores septemdecim annis, qui nullo modo possunt esse procuratores ne quidem ad negotia: ac minores viginti quinque annis, qui nequeunt esse procuratores ad judicia, c. *Qui generaliter*, § fin. h. t. in 6, estque jam dictum supra § præced. n. 15.

52. *Fœminæ, exceptis certis casibus.* — Quinto, fœminæ excluduntur ab officio procuratoris, utpote quod est virile, atque ultra sexum muliebrem. l. *Alienam*, C. h. t. et cit. l. *Fœminæ*, ff. de *Reg. jur.* Nisi agant pro parentibus, quando isti aliunde non defenduntur, et præ morbo vel ætate, se ipsos defendere non possunt: tunc enim fœminæ pro ipsis in iudicio agere, eorumque procuratores, seu procuratrices esse valent, l. *Fœminis*, 41, ff. h. t. Non item pro filio pupillo, ut notat Glossa ibid. §. *Habeant*, id probans ex l. *Alienam*, C. h. t. ubi summarium inquit, quod mater non potest defendere filium pupillum, sed debet et tutorem petere. Intelligitur nisi ipsa sit constituta tutrix filiorum suorum, *Ex parte*, 67, de *Appellat.* Tunc enim, ex quo ei concessa est administratio honorum filii pupilli, etiam pro horum defensione in iudicio stare, et procuratoris munere fungi poterit. Joan. Andr. in cap. II, de *Jurejurand.* in 6; Pirhing, h. t. n. 24.

53. *Milites.* — Sexto, milites non possunt in alienis negotiis esse procuratores, l. *Neque fœmina*, 54, ff. h. t. Idque merito: ne hac occasione milites abstrahantur a castris, et omisso armorum usu ad opus rurestre se conferant, l. *Milites nostros*, 31, C. de *Locato.* Unde cum ipsi armis, non privatis negotiis occupare debeant; nec pro conjunctis personis, ut puta patre, matre, vel uxore, procuratoris vices agere possunt, l. *Militem*, 7, C. h. t. Possunt tamen milites esse procuratores in rem suam, vel in propriis negotiis,

1. *Qui stipendia*, 9, c. eod. Sicut et in negotiis suæ cohortis, l. *Filiusfamilias*, § *Veterani*, ff. h. t.

54. *Absentes reipublicæ causa, inviti.* — Rursus, qui reipublicæ causa abfuturi sunt, procuratores esse nequeunt, c. l. *Neque fœmina*, ff. h. t. Ubi hoc ipsum asseritur de iis, qui perpetuo morbo detinentur, aut qui magistratum initari sunt, aut qui sunt inviti: quorum ultimum, loquens de invitis, pariter habetur in c. *Querelam*, 2, h. t.

55. *Potentiores, alienarum litium redemptores, personæ illustres.* — Ulterius potentiores prohibentur esse procuratores ad lites, L. I, C. *Ne liceat potentioribus*, etc. Idem dicendum de redemptoribus alienarum litium, arg. l. *Litem*, 15, C. h. t. ac notat Engel h. t. n. 6. Accusati quoque de crimine nequeunt esse procuratores alterius, donec probaverint suam innocentiam l. *Reum*, 6 C. h. t. Ut taceantur personæ illustres, utpote quæ per se agere non possunt, sed solum per procuratorem, etiam in propriis negotiis, l. *Quicumque*, juncta Authen. seq. C. h. t. Item prodigi, quibus honorum administratio a iudice fuit interdicta, et nonnulli alii.

56. *Procurator debet constitui certus; alias non valet talis constitutio.* — Quæritur IV. An procurator non nisi certus constitui possit? Resp. I. Procurator debet constitui certus, ita quod alias non valeat talis constitutio. Ita Glossa magna in cap. I, h. t. in 6, circa fin. card. Tuschus lit. M. concl. 53, inde post Petr. de Ancharano, consil. 22, n. 7, concludens quod si quis constituit procuratorem Sejum, et ipsus Seji hæredes, mandatam non valet quod hæredes, quia incerti sunt: item, quod non valet mandatam, per quod omnes talis loci, vel curiæ, constituuntur procuratores, propter incertitudinem; ut voluit Bœrius, decis. 274, n. 3; Cardinalis de Luca in *Annot. ad S. concilium Trident.* discours. 26, n. 31, dicens: « Mandatam certæ personæ pro matrimonio contrahendo directum esse debet, neque aliter sufficit: » et alii.

57. *Idque varie probatur.* — Desumitur hoc ex l. II, ff. h. t. ubi loquendo de absente in procuratorem constituendo, requiruntur hæc duo nempe quod « ut certus sit, qui datus intelligitur, et is ratum habuerit; » atque amplius declarat Glossa ibidem. Accedit ratio; quia incertitudo vitiat dispositionem, ut inquit card. Tuschus litt. I, conclus. 65, n. 1, id probans in l. *Duo sunt Titii*, ff. de *Testamentar. tutel.* ubi incertitudo illius personæ, quæ

datur seu constituitur tutor, vitiat dationem. Concordat textus in l. *Tutor incertus*, ff. eod. ubi pariter dictum, quod « Tutor incertus testamento dari non potest; » juncta Glossa ibid. recte hoc extendente ad procuratorem constitutum, ad hæredem institutum et alias hujusmodi personas; prout etiam executor cuiuspiam concessus, debet esse certus, c. *Tibi qui*, 12, de *Rescript.* in 6, ibi: « Certo executore concessio. »

58. *Valet tamen potestas data procuratori de substituendo alio, nulla certa persona expressa.* — Resp. I. Quamvis procurator debeat constitui certus, ut dictum; nihilominus potestas data procuratori de substituendo alio valet, licet sit incertus is, quem vult substituere. Ita Glossa magna in cit. cap. II, h. t. in 6, ad finem. Idemque patet ex d. cap. I, § *Licet*, ubi approbatur potestas cuiuspiam concessa substituendi alium procuratorem, « etiam certa non expressa persona. » Ratio est, quia quamvis incertitudo omnimodo vitiet dispositionem; secus tamen est, quando potest reduci ad certitudinem. Card. Tuschus cit. concl. 65, n. 2, post Fulgosium, consil. 183. Atqui hoc fit in proposito, dum procurator habens dictam potestatem substituendi alium, substituit certam personam, v. g. Titium; ergo. Idem patet in simili: quia potest constitui procurator ad eligendum, nulla certa persona sibi expressa, quam eligere debeat, c. *Si qui justo*, 46, § *Porro de Election.* in 6, haud obstante, quod electus debeat esse certus, cap. II, eod. in 6.

§ III.

DE CAUSIS, IN QUIBUS POTEST INTERVENIRE PROCURATOR.

59. *Procurator potest intervenire in omnibus causis, ubi hoc non reperitur prohibitum.* — Quæritur I. In quibus causis possit, vel non possit intervenire procurator? Resp. I. Generaliter loquendo in omnibus negotiis, et causis, potest intervenire procurator, in quibus id non reperitur expresse prohibitum. Ita Valensis h. t. § 5, num. 4; Sannig. eod. cap. v, n. 1, et alii. Ratio est, quia edictum de procuratoribus est prohibitorium, l. *Mutus*, 43, ff. h. t. ac proinde quidquid non invenitur prohibitum nominatim, debet intelligi concessum, c. *Cum apud sedem*, 23, de *Sponsalib.* Verum descendendo ad magis specialia.

61. *Specialiter in causis civilibus, tum tem-*

poralibus, tum spiritualibus. — Resp. II. In omnibus causis civilibus, tum temporalibus, tum etiam spiritualibus, intervenire potest procurator ad lites. Ita Pirhing. h. t. n. 25, estque communis. Ratio est, quia non solum nullo jure istud reperitur prohibitum, sed etiam variis in locis expresse concessum: ut L. I, ff. h. t. ubi de causis civilibus generatim dicitur: « quod usus procuratoris perquam necessarius est, ut qui rebus suis ipsi superesse vel nolunt, vel non possunt, saltem per alios possint vel agere, vel conveniri. » Concordat reg. 68 jur in 6: « Potest quis per alium, quod potest facere per seipsum, » cum similibus.

61. *Specialiter in causis civilibus, tum temporalibus, tum spiritualibus.* — Atque in specie, quod procurator admittatur in causis spiritualibus (intellige, dummodo non sit electa industria, et fides personæ; ut cap. ult. *Is autem, de Officio. delegat.*) habetur in cap. I, § 1, h. t. in 6, etc. *Is cui ab apostolica, 12, de Officio. delegat.* in 6. Idem de causa matrimoniali, patet ex cap. ult. h. t. in 6. De causa pecuniaria, I. *In pecuniis*, 26. C. h. t. De causa liberali, seu ubi agitur de statu hominis, I. *Servum*, 33, ff. eod. Imo, quod possit procurator dari non solum ad lites præsentis, sed etiam ad futuras, constat ex c. *Non injuste*, 14, h. t. juncta Glossa ibid. §. *Ad futuras.*

62. *Non tamen in causis criminalibus criminaliter motis.* — Queritur II. An etiam in causis criminalibus possit intervenire procurator? Resp. I. In causis criminalibus criminaliter motis, in quibus agitur de imponenda pœna capitali, vel alia corporali, quæ sit gravior relegatione, non admittuntur procuratores nec ad agendum, nec ad defendendum, sed partes tenentur personaliter comparere. Ita Julius Clarus in *Practic. criminal.* lib. V, § fin. quæst. 32, n. 1 et seqq. citans communem; et patet ex can. *In criminalibus*, 3, q. 3, et can. *Si quando*, 2, q. 6, juncta Glossa ibid. §. *Per exploratores*, et c. *Veniens*, 15, de *Accusatione*. Idem habetur in I. *Accusatore*, § fin. ff. de *Publicis judiciis*, ubi nihilominus admittitur procurator ad allegandum causas absentiae seu excusationes eorum, qui personaliter non comparent in judicio. Concordat textus expressus in L. un. ff. *Ac per alium cause appellation.* etc. Et dum hactenus allegata jura generaliter in causis criminalibus videntur excludere procuratorem; ibidem declaratur, hoc dumtaxat

esse intelligendum de illis causis criminalibus ubi venit imponenda pœna capitalis, vel alia major relegatione. Adeo, ut quando agitur de imponenda pœna relegationis vel alia minore, ut puta de pœna pecuniaria, possit intervenire procurator, ut explicat Glossa ibid. §. *Relegationem*, et Julius Clarus d. quæst. 32, n. 5, citans plurimos alios, et communem; atque n. 6, hoc ipsum asserens de casibus illis, in quibus tantummodo imponitur pœna privationis seu depositionis ab ordine, seu dignitate. « In his enim (inquit) pariter poterit reus per procuratorem se defendere, et est communis opinio. »

63. *Saltem, quando venit imponenda pœna capitalis, vel alia major relegatione.* — Ratio primæ partis conclusionis est, quia alioquin, ubi de pœna capitis agitur, judicium criminale redderetur elusorium, atque sententia judicis non facile posset executioni mandari. Nam, si reus per constitutum procuratorem respondens, intelligeret sese condemnandum ad pœnam capitalem, vel gravem corporalem, v. g. mutilationem, tempestive sibi fuga consuleret: atque ita sententia in ipsum ferri, aut executioni mandari non posset, cum absens criminaliter condemnari (multo minus capitaliter, vel corporaliter puniri) non possit I. *Absentem*. ff. de *Pœnis*: ipse autem procurator, utpote innocens, tali pœnæ loco absentis rei neutiquam subjici valeat. Et eadem ratio militat in procuratore accusatoris: nam, si hic deficiens in probatione criminis, videret sese condemnandum ad pœnam talionis, pariter se absentaret, sicque etiam pœnam talionis redderetur elusoria.

64. *Quod limitatur, si reus est præsens in judicio, vel incarceratus; et qualiter tunc possit intervenire procurator?* — Limitatur tamen data conclusio, quando reus est præsens in judicio, vel in carcere constitutus. Quia tunc cessat proxime allata ratio legis, ne judicium reddatur elusorium: ac proinde pro reo potest intervenire procurator; non quidem ad respondendum interrogationibus, quæ ei fiunt a iudice super delicto in examine, vel tortura (ad has enim reus tenetur personaliter, seu per seipsum respondere, utpote exactiorem præ cæteris de facto proprio habens notitiam) sed ad opponendum exceptiones, producendum capitula, et præstandum alia, quæ pro ipsius rei defensione videbuntur opportuna. Bartolus in I. *Accusatore*, § *Ad crimen*, n. 10, ff. de *Publicis judic.*; Abbas c. *Veniens*, n. 22, de *Accusat.*; Scaccia de *Judic.* l. I.

cap. cr, n. 44; Julius Clarus l. V *Criminal.* § fin. quæst. 32, n. 16, allegans communem opinionem, quam servat consuetudo, et stylus curiarum.

65. *Ubi solum esset imponenda relegatio, vel alia pœna minor, tunc in criminalibus admittitur procurator.* — Altera pars conclusionis ex eo suadetur: quia in pœnis levioribus, seu in relegatione, aliisque minoribus, ut puta in pœna pecuniaria, et hujusmodi, cessat similiter allata ratio legis, ne judicium reddatur elusorium: sicque non immerito in ipsis admittitur procurator. Imprimis enim, ubi agitur ad pœnam dumtaxat pecuniariam, nihil interest actoris vel judicis, an reus personaliter compareat, vel per procuratorem se defendat; cum executio sententiæ condemnatoriæ faciendæ sit in bonis, non autem in persona rei. Deinde loquendo de pœna relegationis, hæc ipso facto impleteretur, ubi reus ex metu talis pœnæ perpetuo se absentare, atque in exilio vivere compelleretur.

66. *An admittatur procurator, quando vir accusat uxorem de crimine adulterii?* — Hoc totum amplius confirmatur ex c. *Tue fraternitati*, 5, h. t. ubi Papa desuper consultus respondet, quod si vir accuset uxorem de crimine adulterii coram iudice sæculari ad infligendam pœnam legalem (quæ antiquitus fuerat pœna capitis, I. *Quamvis adulterii*, C. *Ad leg. Jul. de adulter.* juncta Glossa fin. ibid. postea vero quoad fœminas commutata est in verberationem, ac detrusionem in monasterium, juxta *Sed hodie*. C. eod.) tunc non possit intervenire procurator, sed oporteat, ut vir præsens per seipsum accuset uxorem. Si vero vir velit accusare uxorem de adulterio coram iudice ecclesiastico in ordine ad obtinendum divortium, seu separationem thori et cohabitationis, tunc sustineri poterit ut per procuratorem accuset; cum talis accusatio sit quasi mixta inter civilem et criminalem, prout uberius patet ex textu.

67. *In contrahendo matrimonio, etiam de facto, potest intervenire procurator.* — Queritur III. An, et qua ratione in contrahendo matrimonio possit intervenire procurator? Resp. I. Certum est, quod matrimonium etiam de facto, seu post concilium Tridentinum, valide ac licite contrahatur mediante procuratore ad id legitime constituto. Patet hoc ex cap. ult. h. t. in 6, et recepta praxi Ecclesiæ, passim talia matrimonia, præsertim inter principes et magnates longe distantes celebrata, comprobante. Neque obstat concilium

Tridentinum, sess. 24, cap. 1, de *Reform. matrim.* irritans matrimonia clandestina: nam matrimonium coram parocho et testibus per procuratorem contractum, nullo modo potest dici clandestinum, quinimo est publicum, ac notum in facie Ecclesiæ.

68. *Dummodo is habeat speciale mandatum de matrimonio contrahendo.* — Resp. II. Nihilominus in procuratore ad contrahendum matrimonium constituto, sequentia tria sunt specialia. Primo, debet is habere speciale mandatum: alias non censetur idoneus procurator ad matrimonium nomine alterius contrahendum, text. clar. cit. cap. ult. h. t. in 6. Unde non sufficit generale mandatum agendi omnia, etiamsi mandatum exigant speciale; quamvis etiam horum nonnulla exprimentur addita illa clausula: nam clausula hæc includit quidem specialia expressis similia, sed non longe majora, ut est matrimonium; prout amplius patebit ex dicendis n. 90 et 92.

69. *Et quidem cum certa, seu expressa persona.* — Glossa in cit. cap. ult. §. *Speciale*; et Barbosa in *Collecton.* ibid. n. 2; et Sanchez l. II de *Matrim.* disp. 11, n. 4, cum aliis, quos citant, quod non solum requiratur speciale mandatum ad contrahendum, sed etiam speciale ad contrahendum cum certa, seu expressa persona; adeo, ut non sufficiat mandatum generale ad contrahendum cum quacumque. Idque probatur ex l. *Generali*, ff. de *Ritu nuptiar.* ubi dicitur: « Generali mandato quærendi mariti filiarum familias, non fieri nuptias, rationis est: itaque personam ejus patri demonstrari, qui matrimonio consentit, ut nuptiæ contrahantur, necesse est. »

70. *Procurator ad contrahendum matrimonium datus non potest alium substituere.* — Secundo, procurator ad matrimonium contrahendum constitutus non potest deputare, seu substituere alium loco sui, nisi pariter hoc eidem specialiter ac expresse sit commissum. Textus, et doctores in cit. cap. ult. h. t. in 6. Sicque impræsentiarum fallit regula illa, quod procurator ad negotia possit alium libere substituere; ut cap. I, § *Licet*, h. t. in 6. Ratio hujus specialitatis, est arduitas præsentis negotii, seu matrimonii contrahendi; magnumque periculum, quod ex facto tam arduo posset imminere, utpote in quo non de rebus externis, sed de ipsamet contrahentium persona agitur.

71. *Nec valide contrahit post mandatum revocatum, licet ignoret revocationem.* — Tertio,

procurator ad matrimonium contrahendam constitutus non potest illud contrahere post mandatum revocatum, quamvis revocatio ipsa ad notitiam ejus non devenerit. Et si secus fiat, talisque procurator revocatus etiam ignoranter contrahat, non tenet matrimonium; cum illius consensus defecerit, sine quo firmitatem habere non potest. Textus, et doctores ubi supra. ADNOTATIO XIX.

§ IV.

DE MANDATO PROCURATORIO, ET POTESTATE PER ILLUD CONCESSA.

72. *Mandatum procuratorum quid?* — Queritur I. Quid sit, et qualiter probetur mandatum procuratorium? Resp. I. « Mandatum procuratorium, » dicitur illud, quo quis ad aliena negotia administranda per eorundem dominum legitime constituitur. Patet hoc ex l. I, ff. h. t. estque in re communis.

73. *Que debeat continere?* — Porro mandatum procuratorium, seu datum ad constituendum legitimum procuratorem, tria potissimum continere debet: primo nomen constituentis, et constituti: secundo mentionem causae commissae in genere, vel in specie: et tertio, quod constituens ratum habere velit, quod cum procuratore actum fuerit. Textus est in l. *Procuratorem*, 63, ff. h. t. ubi ista tria singillatim exprimuntur. Additur tamen in conclusione, tria potissimum, etc. Nam, ut observat Speculator, tit. *de Procuratore*, § *Ut autem*, n. 1, referens exactam formam mandati procuratorii ad lites, in hoc insuper exprimendum est, quo anno, mense et die, et in cujus notarii, testiumque subscriptorum praesentia, quispiam fuerit constitutus procurator: quanquam ista non tam necessario requiri, ac requiruntur priora tria, patere possit ex illico dicendis. Unde

74. *Etsi communiter detur in scriptis, potest tamen etiam probari per testes.* — Resp. II. Etsi mandatum procuratorium communiter soleat dari in scriptis; idque merito fiat ad meliorem videlicet ejus probationem: recte nihilominus notat Glossa in cap. 1, § *Portitoribus*, et Abbas ibid. n. 5, h. t. et Jason in l. *Cautio*, n. 6 et seqq. C. eod. hanc appellans veram, et magis communem doctorum, quod mandatum procuratorium non solum possit probari per instrumentum, sed etiam per testes: quia quantum ad probandum, parem vim habent testes et instrumenta; ut

c. *Cum Joannes*, 10, de *Fide instrument.* et l. *In exercendis*, C. eod. Accedit textus in l. I, ff. h. t. ubi dicitur, quod procurator potest constitui per nuntium, seu (ut explicat Glossa) per nuntiationem: unde consequens est, quod procurator etiam per testes sufficienter probetur.

75. *Mandatum procuratorium regulariter non praesumitur, sed est probandum ab allegante.* — Resp. III. Mandatum procuratorium regulariter non praesumitur, sed est probandum ab allegante. Ita Mascardus de *Probationibus*, concl. 1008, n. 8 et seqq., et alii. Siquidem mandatum procuratorium, utpote descendens ex animo constituentis procuratorem, est quid facti: atqui facta non praesumuntur, eo quod ex sui natura sint incerta; ut cap. 1, de *Constit.* in 6, et l. I, C. de *Probat.* cum concordantibus; Card. Tuschus litt. F, concl. 10, n. 1, Barbosa. *Axiomat.* 93, n. 27 et 28, et communis.

76. *Quid juris, si procurator non probet mandatum?* — Unde sequitur, quod procurator incumbat probare se esse talem, l. *Actor quod*, C. de *Probat.* Alioquin non prodesset actus, vigore asserti mandati factus, arg. *Cum in jure*, 31, de *Offic. delegat.* Quin etiam procurator, qui non probavit mandatum, tenetur ad expensas, damna et interesse alterius partis, utpote quam injuste vexavit. Alexander, consil. 136, n. 1, vol. 6, citans alios: ac insuper potest puniri poena falsi, prout decisum fuisse a dominis Rotae decis. 12, de *Procurat.* In antiq. refert Mascardus loc., cit. n. 7.

77. *Mandatum procuratorium praesumitur, vel inducitur ex patientia domini scientis, et non contradicentis.* — Additur tamen in conclusione, « regulariter non praesumitur. » Fallit enim hoc, quando dominus scivit procuratorem suo nomine agere, et non contradixit: quia tunc dominus ille praesumitur mandasse, vel potius per talem ejus patientiam inducitur mandatum, l. *Qui patitur*, ff. *Mandati*; Abbas, consil. 7, n. 4, vol. 2, post Innocentium in c. *In Genesi*, de *Election.* Joan. Andreas c. *Qui ad agendum*, n. 1, de *Procurat.* in 6, dicens, quod si quis videt, causam suam agi suo nomine per falsum procuratorem, et non contradicit, fiat ipsi praesudicium: protestari enim debuit contra illum; alioquin procurator ille ex sua voluntate creditur agere, cum eum posset prohibere, et non prohibet; l. *Saepe*, C. de *Re judicat.*; Rota, decis. 454, in novis.; Barbatia, consil. 45 et 46, vol. 3.

§ IV. DE MANDATO PROCURATORIO, ET POTESTATE PER ILLUD CONCESSA. 97

pluresque alii, quos citat Mascardus d. concl. 1008, n. 18, quidquid nonnulli alii contradicant.

78. *Idem probatur, saltem praesumptive, et traditione, et productione instrumentorum, seu jurium.* — Atque istud ampliatur ad traditionem instrumentorum, sive jurium: nam etiam ex horum productione, si ea cuipiam a domino tradita fuerunt, resultat probatio mandati procuratorii saltem praesumptive, arg. c. *Coram dilecto*, 34, § 1, et tradit ibidem Baldus, n. 2, et Felinus, n. 9, de *Offic. delegat.* Rota decis. 68, n. 2, coram Merlino; Gailus, l. I, Practic. observat. 133, n. 4; Mascardus, concl. 1011, n. 1 et 3, citans alios; et postea, n. 5 ac seqq. hoc ipsum nonnihil limitans in persona domestica, vel alia, quae non fuit consueta procurare: nam talis praesumitur potius habere instrumenta illa custodiae causa, non autem intuitu mandati.

79. *In procuratore ad agendum constituto, requiritur speciale mandatum procuratorium.* — Queritur II. Utrum in procuratore requiratur speciale mandatum procuratorium? Resp. I. In procuratore ex parte actoris, seu ad agendum constituto, requiritur, quod habeat speciale ac legitimum mandatum procuratorium a suo principali, de quo constare debet; alioquin non est audiendus: nisi agat pro conjunctis personis, vel consortibus ejusdem litis, simulque caveat de rato. Ita communis. Et quidem prior pars patet ex cap. 1, h. t. ubi Abbas in *Summario*, Barbosa in *Collectan.* n. 1, et alii. Ratio est, tum quia alioquin principalis non obligaretur, neque teneretur ex eo, quod in judicio contra ipsum fuit agitatum, et conclusum, nisi tali procuratori dedisset mandatum, l. I, C. *quibus res judicata non noceat*, et l. *Licet*, 24, C. h. t. Quin potius ipsemet procurator conveniri deberet l. *Plautius*, 61, ff. h. t. juncta Glossa ibid. in casu; tum quia, nisi procurator de mandato suo legitime docuerit, constare non potest, qualem potestatem habeat: nam constitutus ad agendum in una causa non idcirco potest agere in alia causa, c. *Constitutis*, 12, h. t.; tum tandem, quia nisi de mandato procuratorio legitime constaret, posset principalis in lite succumbens protestari, negareque talem a se fuisse procuratorem constitutum; sicque ipsum processum inficiari. Atque ita olim contigisse refertur in cit. cap. 1, h. t. ubi proin pontifex exinde cautior esse praemonitus, noluit posterioribus ad se destinatis portitoribus credere, ne de ipsis

similiter, uti de primis diceretur: sed petivit, instructam personam cum mandato legaliter facto sibi transmitti, ut quidquid cum ea factum fuerit, jure subsistat.

80. *Nisi agat pro conjunctis personis; et quae censeantur conjunctae personae?* — Additur notanter primo, « nisi agat pro conjunctis personis, » etc. Quales « personae conjunctae » sunt liberi, parentes, fratres, liberti, l. *Sed et eae personae*, 35, ff. h. t. omnesque conjuncti usque ad quartum gradum, arg. c. *Non aeber*, de *Consanguinit. et affinit.* ac notat Hostiensis in *Summa*, n. 13, h. t. Nam ad agendum in judicio pro conjunctis personis, mandatum non exigitur: tale enim praesumitur ex conjunctione sanguinis, cit. l. *Sed et eae personae*. Ac proinde (exceptis illis casibus, in quibus exigitur speciale mandatum; ut limitat Glossa in l. *Exigendi*, § *Non cogitur*, C. h. t.) pro persona sibi conjuncta admittitur procurator absque alio mandato: dummodo de contraria illius voluntate non appareat; simulque ejusmodi procurator praestet cautionem de rato, hoc est, assecurationem faciat, quod principalis, totum, quidquid est gerendum, sit ratam habiturus. Patet hoc ex l. *Pomponius*, 40, § fin. ff. h. t. et c. *Nonnulli*, 28, § fin. de *Rescript.* ubi proin etiam ad impetrandum rescriptum justitiae pro personis conjunctis, non requiritur harum mandatum.

81. *Vel nisi agat pro consortibus ejusdem litis.* — Additur ulterius, « vel pro consortibus ejusdem litis, » etc. Nam, ubi sunt plures consortes ejusdem litis, seu communis negotii, possunt ipsi quibusdam absentibus post litem contestatam pro se invicem agere, ac defendere, etiam absque alio mandato: dummodo caveant de rato, ac de judicatum solvendo, si petatur; simulque absentes non sint inviti, seu non contradixerint. Desumitur hoc totum ex l. II, C. de *Consortibus ejusdem litis*, juncta Glossa, et Bartolo ibidem, cum aliis.

82. *In procuratore ad defendendum, non requiritur speciale mandatum; et cur?* — Resp. II. In procuratore tamen ex parte rei, seu ad defendendum (hoc est in defensore) non requiritur, quod comparens pro alio habeat speciale mandatum; dummodo praestet satisfactionem de judicatum solvendo. Ita habetur l. *Exigendi*, 12, C. h. t. et § fin. *Instit. de Satisfactionib;* Vallensis, h. t. § 6, n. 3; Pirhing, n. 47; Scaccia, de *Judic.* lib. I, cap. ci, n. 44, et alii. Ratio disparitatis inter